

Quod si ita est, quidni DEO, infinitâ, immensâ, æternâ, virtute, vi & potentiâ omnem humanum excedente captum, eminenter prædito, vita, vis competeret potentissima, ætuoſissima?

§. V.

Ὁμοιύμως autem sumitur vita α) *impropriè*, vel pro δύναμις ἐνεργητικῇ *quavis*, prout vel fama, vel aqua è fonte ebulliens, mortuæ stagnorum opposita, viva Dannhauero *Colleg. Ψυχολογ. dispp. 1. de Vita & Morte. Controv. 1. p. 34.* Clotzio in *Theol. natural. dispp. XII. §. 1. p. 641.* Petro Gassendo *Opp. Tom. II. Libr. XIII. Cap. 1. pag. 582.* Anton le Grand *Institut. Philosoph. Libr. VII. Cap. I. p. 513.* Sedanensibus *dispp. Tom. II. p. 1023.* dicitur; vel *accidentaliter* (essentialiter enim in rebus sub sole sitis viventibus est juxta Gassendum *l. c.* ipsa forma informans anima) *pro vitali operatione*, Tannero *Theol. Schol. II. quest. 8. dub. 1. p. 421.* Doctore etiam Angelico *Part. 1. quest. 18. art. 2.* It. Dominic. Bannesio *in loc. Thom. citat. p. 235.* Gassendo pariter *l. c. & c.* observantibus. Hinc qua utitur similitudine Thomas; sicuti *corpus*, pro tribus, quibus constat dimensionibus, usurpari solet: Ita pari ratione nonnunquam ipsam *DEI* *intellektionem & volitionem* ceu vitæ *actus* respectu nostri *elicitos*; vitam testaturos, *DEI* appellant Philosophi vitam. Conf. Heins. *Theol. natur. Acroamat. Cap. 7. §. 18. pag. 143.* β) *propriè* autem accipitur α) *Metaphysicè*, aut pro *actu primo* principali ac radicali, aut pro *actu secundo*, acceptione tamen respectu *DEI* & hominum planè *diversâ*. Hominum enim vita in actu primo considerata, juxta Ebelium *Opp. Philos. Tom. II. pag. 622.* dicitur *principium aggenerationis internum per intus assumptionem*; In actu autem secundo, est ipsa aggeneratio per intus assumptionem, à principio activo intrinseco elicitâ, in quo est, qui cum realiter invicem, ut principium & forma differant, omninò *imperfectionem*, dum sese actuant, movent ac perficiunt.